

CAP. V.

De disciplinis Mathematicis
in genere.

§. I.

Quemadmodum Philosophia, quatenus Mathesi contradi-
stinguitur, quod primæ quæstioni *Quid?* aut *Quale
quid sit?* responderi potest, primariò considerat, & certis
disciplinis methodicè tradit: Ita Mathesis, ultimam veluti
manum superaddens, quod quæstioni *Quantum quodque
sit?* responderi potest, primariò perpendit, & distinctis di-
sciplinis scientificè tradit, adeò quidem, ut ubi desinit Phi-
losophus, prædicata rerum denominativè contemplatus,
ibi incipiat Mathematicus, eadem prædicata rerum æsti-
mativè contemplaturus.

§. 2. Etenim *Mathesis* (græcè μαθησις, ἡπεὶ τὸ μα-
θῆναι) licet vi vocis non partem, sed integrum Objecti sci-
entiam, & ex utroque membro constantem disciplinam,
notet, quales olim, ubi denominativa prædicatorum consi-
deratio nondum ab æstimativâ separata fuit, reipsâ quoque
semper indivisim tradebantur; sequioribus tamen seculis,
separatione in quibusdam factâ, Mathesis partem tantum
alteram, nempe complementum disciplinæ (Disciplinam
q.s. κατ' έξυχην) subinvolvere cœpit. Unde ipsa, non ut
olim absolute *Scientia prædicatorum cuiusvis Objecti*; sed limi-
tate *Scientia Quantitatis prædicatorum de quovis Objecto*, & con-
trafacte *Scientia Quantitatis quatenus Quantitas*, vulgo definiri
solet: eo nempe sensu, quo Mathesi contradistincta Phi-
losophia, *Scientia prædicitorum Objecti* quatenus *prædicata*,
vel *Scientia qualitatum quatenus qualitates*, definiri posset.

C 3

§. 3.